



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Episcoporvm Italiae Illyricis De Fide Nicaena Svscepta  
Gratvlantivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

cii, prout quisque se gessit in vita, reddat cuique, carni vniuersæ visum fore: diuinam suam demonstraturum potentiam: Deum carne indutum, non hominem indutum diuinitate. Illis autem qui contraria sentiunt, anathema denuntiamus. Pari ratione his, qui non ingenue dicunt anathema ei qui asserit Filium non ante fuisse quam nasceretur, sed tradit eum vi & facultate prius in Patre fuisse, quam re ipsa genitus esset, anathema denuntiamus. Nam istud dici potest de omnibus creaturis, quæ non semper cum Deo sunt, sicut Filius semper cum Patre est, æterna generatione genitus.

EPISTOLA EPISCOPORVM ITALIÆ  
ILLYRICIS DE FIDE NICÆNA  
SVSCEPTA GRATVLANTIVM.

*Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus,  
episcopi Italiae, in Domino æternam salutem.*

Extat apud  
Hilar. frag.  
lib. 1. pag.  
38. Baron.  
anno 365.  
num. 26. &  
27

**D**IVINI muneris gratia, vt secundum Apostolum omnes vnum sapere, omnes vnum confiteri cœperimus: & quantum ad Italiam pertinet, cum fidei paternæ, hoc est apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem quam passa est apud Ariminum recognoscens, Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse, gaudemus, & consortio infidelitatis, quo grauabatur, abiecto, ea quæ sunt rectæ sententiæ probare cœpisse, gratulamur. Nostram igitur, dilectissimi fratres, vnam eandemque accipite firmam subscriptionem sententiam. Nicæni tractatus aduersus Arium, Sabelliumque, cuius Photinus partiaria hereditate damnatur, decreta seruamus. Ariminensis Concilii statuta quorundam tergiuersatione corrupta, consensu omnium prouinciarum iure rescindimus; quorum etiam exemplaria transmittenda censuimus, vt nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminensi Concilio aliqua videretur condescensio.

Quicumque igitur nostræ vnanimitatis optat habere consortium, quicumque indiuiduam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ, comprobare festinet, & fidei nobis memoratæ subscriptionem, &

ANNO  
CHRISTI  
365.

rescissionem Ariminensis Concilii sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipsi consensum. Auctores autem hæresis Arianae vel Aetianae Valentem & Vrsacium, ceterosque eorumdem consortes, non nunc esse quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse, manifestum est.

## TYANENSE CONCILIVM CATHOLICORVM.

### NOTA.

\* *Tyanense Concilium.* ] Tyana est ciuitas Cappadociae ad radices Tauri montis posita. Illo tempore, quo legati orientalium ex occidente discedentes in orientem venerunt, anno nimirum Christi 365. prædicto loco hæc Synodus a catholicis celebrata fuit. Eustathius episcopus Sebastiae cum aliis collegis ad eam se conferens, Liberii pontificis, aliorumque occidentalium episcoporum communicationis epistolis ostensus, ad professionem fidei Nicænae se obtulit, simulque iuxta mandatum & speciales literas Romani pontificis hæc de rescriptas, in sedem suam restitui petiit. Episcopi vero omnes Tyanæ congregati, primæ sedis maiestatem & auctoritatem veriti, non modo eum catholica communione dignati fuerunt, sed etiam in sedem, a qua Acacianorum sententia deiectus fuerat, restituerunt. Receptus, sedique pristinae restitutus, relapsus est; quia fortasse, quod inquit Basilius, *hæc omnia simulate tantum actitauerit, Nicænamque confessionem ad decipiendum, larua dumtaxat loco usurpauerit.* Postquam enim Basilius epistola 74. ad occidentales scripta, vitam Eustathii, eiusque mores pene ab incunabulis summatim perstrinxisset, hæc ait: *episcopatu eiectus, propterea quod in Melitina Synodo depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitauit, eam videlicet, ut ad vos proficisceretur. Qua vero sint illi a beatissimo episcopo Liberio proposita, & ad qua consenserit, nobis clam est; nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam ubi Tyanæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste itaque iam fidem eam, in quam receptus est, depopulatur, cumque illis facit, qui Homousion anathemate percellunt: deinde & heresi patrocinatur eorum, qui Spiritum sanctum spoliant diuinitate. Quoniam igitur istinc vires accepit ledendi ecclesias, ac publicandæ impietatis suæ fiducia, quam vos vidistis, ad subuersionem multorum usus est, necesse est ut isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit. Simul vero adiciatur, quomodo iam mutata senten-*

Locus Con-  
cili.Eustathius  
in sedem  
suam resti-  
tutus rela-  
bitur ad  
hæresim A-  
rianam.